

J. N. S. S. T.

42

# THESES PHILOLOGICÆ,

QUAS

*Venia Ampliff. in Reg. ad Auram Acad. Facult. Philos.*

PRÆSIDE,

VIRO MAXIME REVERENDO atq; CELEBERRIMO

D<sup>N</sup>. CAROLO ABRAH.  
CLEWBERG,

Græc. & O. O. L. L. PROFESS. Reg. & Ord.

PRO LAUREA,

*Publicæ censuræ submittit*

HENRICUS *SIMON*,

*Simon. Fil.*

SATACUNDA-FENNO,

V. D. M. & Collega Sch. Cath. Ab.

In Aud. Min. Die XXVI. Jul. Anni MDCCLVII.

H. P. M. S.

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Mag. Duc.  
Finland. JACOB MERCKELL,



## THESIS I.



Orum Sententiæ subscribere non dubitamus, qui utramque e geminis Codicis Hebræi lectionibus, examinandam statuunt, eamque retinendam, quæ sensui, analogiæ linguæ locisque parallelis & ceteris, quæ heic in censum venire oportet, quam optime respondet; ita tamen, ut כתיב לך potiori semper loco, קרי לך autem suspectum habeatur, donec evidentibus indiciis suam אשכוליא evincat.

## THES. II.

UT labis & corruptionis omnis expertes afferi queant Codices Hebræi, eosdem plenos & כתיב לך וקרי לך instructos esse oportet; cum vera lectio nunc ex Babyloniacis Codicibus in margine servata, inde repeti debeat, nunc juxta Palæstinos, in contextu locum tueri observetur.

## THES. III.

THES. III.

**C**onsilium RICARDI SIMONII, de corrigendo ipso textu Hebræo, eidem que inferenda lectione marginali, extruso quibusdam in locis רֹו כתיב, minus tutum, immo noxium arbitramur.

THES. IV.

**I**llud vero potius ejus judicium nostrum meretur calculum, quo nimirum instituti sui socium JO. MORINUM deserere & confutare non dubitat, dum hic ex רֹו karjân & Chatbân defectu & omissione in Pentateucho Samaritano conficere nititur; hunc exactiorem esse Hebraico. Ex hoc enim MORINI argumento, si recte ponantur calculi, id tantum sequitur, transfundendi in Samaritanum characterem Pentateuchi auctorem pressius רֹו keri inhæsisse, eamque unam, quæ sibi visa esset optima, lectionem statim in textu expressisse.

THES. V.

**M**anuscripta Biblica Hebræa, si prudenter cum impressis conferantur exemplaribus, usum non spernendum habent:

& vel sinceritatem confirmant textus Hebræi, vel studium, fidem, industriam Judæorum, circa textum Sacrum, ostendunt, vel dissensum in codicibus impressis tollunt.

THES. VI.

**U**T in eo fallitur CLERICUS, quod Pf. II. unice & litterali sensu agi de Christo neget: ita & in textum injurius est, quod l. cit. v. 12. חוסי חוסי librarii culpa mendose, nec ulla figura Grammatica scriptum existimat. Similiter cum in voce ילרתיך v 7. calami errorem fuisse ipsi videntur. Majorem certe L. Hebrææ peritiam idem ostendisset, si in priori voce statum constructum analogicum agnovisset: in posteriori vero extraordinariam punctationem, per Chirek pro Patach, extraordinarii aliquid, h. e. ineffabilem & ab aliis infinitis modis distinctam, æternam æterni filii DEi generationem h. l. exprimere, fuisset edoctus.

THES. VII.

**D**E jure Sacerdotii apud Hebræos, an ad solos spectaverit primogenitos, cum anceps esse soleat disceptatio affirmantibus aliis

aliis eruditorum, & quidem magno numero, contra negativam sententiam tuentibus aliis; horum partibus nos etiam accedere non dubitamus.

THES. VIII.

**S**ententiam, qua asseritur, Kethuram ab Hagare non fuisse diversam, inter sua-  
via Rabbiorum somnia referre non dubitamus. Qui vero Kethuram pro legitima Abrahami, Sara mortua, uxore habere detrectant, ad verum vocis פילגש usum non attendere videntur.

THES. IX.

**Q**uæstio acriter disceptata, filiam ne suam immolaverit Jephtha, an potius eam DEO ejusque cultui consecraverit, dirimi poterit, si Verba textus, votum ejus continentia, curatius expendantur; quo simul posterius veritati magis consentaneum esse, patebit.

THES. X.

**V**oce חבל; Pf. CXXXIX. 16. a radice חבל  
*convolvit*, significari *proprie* & *stricte*  
glomum convolutum; *translate* autem h. l.  
stamen

stamen seu rudimentum corporis humani, ex quo postea ordine pulcherrimo & proportione decentissima elegantissima illa corporis existit & partium delineatio, verissimum est.

THES. XI.

**I**llustris illa metaphora, versu ejusdem Psalmi 15. in voce רִקְמָתִי a Phrygionibus & acupictoribus est traducta ad efformationem corporis humani, in utero; atque adeo in voce ׀לָ; rudimentum totius iectus continetur, quod quidem initio, ob subtilitatem, oculorum fere nec non ferri aciem fugere videtur: omnes tamen partes, rudes licet & indeterminatas, ad structuram corporis requisitas, continet, quæ deinceps successu temporis, elegantissima & miranda textura, exornantur.

THES. XII.

יורה Hebræis vocabatur pluvia, quæ tempore autumnali, jacta semente, cadere in Palæstina solebat prima. Cui opposita מלקוש, pluvia serotina, messem antecedens, ejusque *collectionem* promovens. Unde nec  
mentem

mentem S. Scriptoris satis apte expresserunt versiones, quæ Jobi XXIX. 23. has voces per pluviam *matutinam* & *vespertina* reddunt.

THES. XIII.

משׁ Pluviam fortem, i. e. multis diebus continuis decidentem, & terram insigniter fœcundantem, notat. Adhibetur hæc vox de pluvia serotina, mense octobri descendente; pro hac confessi laudabant DEum benedictione Judæi. Unde quid sibi velit גשמי ברכה Ezech. XXXIV. 26. intelligi potest.

THES. XIV.

**S**Cythas Barbaris a Paulo, Epistola ad Coloss. c. III. 11. revera opponi, pro certo habemus. Morum vero in Scythis integritatem magis, quam profundam sapientiam, hac oppositione, Paulum respexisse arbitramur. Eos vero a recta vocis significatione discedere censemus, qui, ob hanc morum integritatem, magnos ex Scythis Philosophos exsculpere conantur.

THES. XV.

\* \* ) 8 ( \* \*

THES. XV.

**L**UCAM artis medicæ fuisse peritum, cum stilius, quo Evangelium ejus a ceterorum differt, in rebus hanc artem spectantibus, evincit, tum locus Pauli, Coloss. c. IV. v. 14. ubi Lucas *ὁ ἰατρός ὁ ἀγαπῶν* memoratur, quem a nostro fuisse diversum nullo firmo historiæ testimonio probari potest.

SOLI DEO GLORIA.

